

Ut, pater est qui filium, filius qui patrem habet: vel ad-
dito genere, pater est persona in statu eminentiæ, filium ha-
bens &c. Priores illæ definitiones dicuntur circulares.

*Cap. 8. Definitio imperfecta arbi-
traria.*

Definitio imperfecta sequitur, quæ definitum
imperfectè explicat: *aliàs dicitur descriptio.*

Imperfectè explicare est 1. leviter, populariter, adeoque
ex argumentis definito nullâ ratione essentialibus, rem ali-
quam explicare. 2. ita explicare naturam definiti, in quan-
tum à nobis cognosci potest.

Canon hujus loci est unicus:

*Quò magis vel minùs à legibus perfectæ definitionis
recedit definitio imperfecta: eò magis vel minùs est im-
perfecta.*

Nimirum hæc est omnium imperfectorū natura, ut ma-
gis vel minùs imperfecta censeantur, prout perfectio, tan-
quam mensuræ, sunt propiores, vel ab eodem remotiores,

**Definitio imperfecta est arbitraria, vel neces-
saria.**

**Definitio
arbitraria.**

Arbitraria est, quæ pendet à voluntate artificis.

Sæpè artifices adferunt definitiones imperfectas, cum
possint habere perfectas. Istiusmodi definitiones ideò di-
cuntur imperfectæ arbitrariæ; quia pendent ab arbitrio
artificis, qui propter certas circumstantias, utputa audito-
rum ruditatem, non utitur definitionibus quidditativis, sed
descriptivis.

Hæc est trium modorum.

Primi modi est, quæ genere caret, vel habet ge-
nus metaphoricum, undecunque etiam differen-
tia sit desumpta:

Ut, magistratus est lex loquens; lex est mutus magistra-
tus; fides est illud, quo extant quæ sperantur, & quæ demon-
strat quæ non cernuntur. *Hebr. 11. vers. 1.*

Secundi